

actione patrum suorum, nimirum Abraham, Isaac, Iacob, & aliorum virorum illustrium, à quibus originem ducebat, ne videretur tibi solitribuere, quod à Deo impetrauerat, sed potius illorum insignium virorum meritis & iustitiæ, ac Dei veritati, qui eorum posterorum in illa Babylonica seruitute etiam miserabatur.

¶ *Quarogauimus te.* Ego scilicet, & socij mei. Sociorum precibus quoque tribuit apertionem somnij, vt arrogantiam fugeret, quam penitus vitare cupiebat.

¶ *Quia sermonem regis aperuisti nobis.* Hoc est, negotium somnij regis. Vocabulum Chaldæum Milath quo hic vitur Daniel, sermonem significat, & negotium, & rem. Nec mirum si Deus hæc Danieli reuerauerit, cum dicat Amos capite tertio: Non faciet dominus verbum, nisi secretum suum reuelauerit ad seruos suos prophetas.

Amos 3

D Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituuerat Rex, vt perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est. Sapientes Babylonis ne perdas. Introduc me in conspectum regis, & solutionem regi narrabo. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei. Inveni hominem de filiis transmigrationis Iuda, qui solutionem regi annuntiet. Respondit Rex, & dixit Danieli, cuius nomen erat Baltassar: putas ne verè, potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationem eius? Et respondens Daniel coram rege ait: *Mysterium quod rex interrogat, sapientes, magi, & aruspices nequeunt indicare regi. Sed est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicabit tibi Rex Nabuchodonosor, que ventura sunt in nouissimis temporibus Somnium & visiones tue in cubili tuo huiusmodi sunt. Tu rex cogitare cepisti in stratu tuo, quid esset futurum post te: & qui reuelat mysteria ostendit tibi, que*

ventura sunt. *Mihi quoque non in sapientia, que est in me plusquam in cunctis viventibus, sacramentum hoc reuelatum est: sed vt interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuas scires. Tu Rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis, statua illa magna, & statua sublimis stabat contra te: & intuitus eius erat terribilis. Huius statue caput ex auro optimo erat: pectus autem & brachia de argento: pedes venter & femora ex ære: tibia autem ferrea: pedum quedam pars erat ferrea, quedam autem fictilis. Videbas ita, donec abscessus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam astute areæ, que rapta sunt vento, nullusque locus inuentus est eis. Lapis autem qui percussit statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Hoc est somnium. Interpretationem quoque eius dicemus coram te Rex.*

¶ *Post hæc.* Postquam Deus ei aperuit arcana, illeque ei gratias egit. Tertullianus Septimius in libro contra Pſichicos ait Danielem postulasse triduum à rege, seque spatio illo cum suis socijs dedisse, ieiunij, & precibus, donec Deus illi mysterium ostendit. Vnde effectum est, vt Deus laudibus efferretur, & ipse cū alijs in vita seruarentur.

Tertul.

¶ *Ingressus ad Arioch.* Cùm posset ingredi ad regem, obiecit tamen Arioch, vt ipsum introduceret. Volebat omnem arrogantiam, insolentiam, & ostentationem vitare. Erat hic Arioch princeps militiæ regis, cui commissa fuerat cura interficiendorum sapientium.

¶ *Sapientes Babylonis ne perdas.* Non solum & socios suos voluit eripere à morte, sed etiam Babylonis sapientes. Er-